

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### I. Übersetzung

1      Ventum est ad partem operis destinati longe grauissimam:  
2      cuius equidem onus si tantum opinione prima concipere  
3      potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius con-  
4      suluisse uires meas. Sed initio pudor omittendi quae pro-  
5      miseram tenuit, mox, quamquam per singulas prope partis  
6      labor cresceret, ne perderem quae iam effecta erant, per  
7      omnes difficultates animo me sustentauit. Quare nunc quo-  
8      que, licet maior quam umquam moles premat, tamen pro-  
9      spicienti finem mihi constitutum est uel deficere potius quam  
10     desperare. Fefellit autem quod initium a paruis ceperamus:  
11     mox uelut aura sollicitante prouecti longius, dum tamen  
12     nota illa et plerisque artium scriptoribus tractata praecipi-  
13     mus, nec adhuc a litore procul uidebamur et multos circa  
14     uelut isdem se uentis credere ausos habebamus: iam cum  
15     eloquendi rationem nouissime repartam paucissimisque  
16     temptatam ingressi sumus, rarus, qui tam procul a portu  
17     recessisset, reperiebatur; postquam uero nobis ille, quem  
18     instituebamus, orator a dicendi magistris dimissus, aut suo  
19     iam impetu fertur aut maiora sibi auxilia ex ipsis sapientiae  
20     penetralibus petit, quam in altum simus ablati, sentire coe-  
21     pimus. Nunc ‘caelum undique et undique pontus’. Vnum  
22     modo in illa inmensa uastitate cernere uidemur M. Tullium,  
23     qui tamen ipse, quamuis tanta atque ita instructa naue hoc  
24     mare ingressus, contrahit uela inhibetque remos et de ipso  
25     demum genere dicendi, quo sit usurus perfectus orator, satis  
26     habet dicere. At nostra temeritas etiam mores ei conabitur  
27     dare et adsignabit officia. Ita nec antecedentem consequi  
28     possumus et longius eundum est, ut res feret. Probabilis  
29     tamen cupiditas honestorum et uelut tutioris audentiae est  
30     temptare, quibus paratior uenia est.  
31     Sit ergo nobis orator, quem constituimus, is qui a M.  
32     Catone finitur uir bonus dicendi peritus, uerum, id quod et  
33     ille posuit prius et ipsa natura potius ac maius est, utique uir  
34     bonus: id non eo tantum quod, si uis illa dicendi malitiam  
35     instruxerit, nihil sit publicis priuatisque rebus perniciosius

36 eloquentia, nosque ipsi, qui pro uirili parte conferre aliquid  
37 ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de  
38 rebus humanis, si latroni comparamus haec arma, non militi.

## II. Sprachliche Erläuterungen

1. Legen Sie das Bedeutungsfeld von **ars** (Z.12) dar!
2. Spezifizieren Sie den Kasus, der in **nobis** (Z.17) vorliegt!
3. Worauf bezieht sich **quibus** (Z.30)?